



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

XVII. De decimis dandis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

XVI.

Qui sacerdotem morti voluntarie tradiderit, carnem non comedat, nec vinum bibere præsumat omnibus diebus vitæ suæ. Ieiunet autem vsque ad vesperam, exceptis diebus festis atque dominicis. Arma non sumat, & vbicumque ire maluerit, nullo vehiculo deducatur, sed propriis pedibus proficiscatur. Ecclesiam per quinquennii tempus non ingrediatur, sed cum sacrarum orationum officia, aut Missarum solennia celebrantur, ante fores basilicæ perseueret, orans ac deprecans Dominum, vt tanto crimine abluatur. Post expletum vero quinquennii tempus ingrediatur ecclesiam, non tamen communicet, sed inter audientes tantummodo stet, vel dum facultas conceditur sedeat. Dum autem duodecimi anni cursus fuerit finitus, communicandi ei tribuatur medela. Maneat tamen in reliquis obseruationibus tres dies per hebdomadam, vt ad perfectionis purificatus mereatur venire culmen.

XVII.

Admonemus atque præcipimus, vt decima omnino Deo dari non negligatur, quam Dominus ipse dari sibi constituit. Timendum est enim, quisquis Deo debitum suum abstrahit, ne Deus propter peccatum suum auferat ei necessaria sua. Qui vero decimas post crebras admonitiones & prædicationes sacerdotum dare neglexerint, excommunicentur.

XVIII.

Perlatum est ad nos, quod quidam Altmannus nomine, sibi commatrem spiritualem, ex parochia

ANNO
CHRISTI
888.